

**S**ingulare Pietatis exemplum in Adriano Imperatore miratur Spartianus. Cum enim ad optatus à Trajano moriente , Patris honorem & cultum huic Benefactori deberet; ac is interim inceptas à Parente victorias suā Virtute consummasset , ut Senatus suffragio dignus judicaretur triumpho: recusavit ipse , ac imaginem Trajani Curru triumphali vexit , ut optimus Imperator , ne post mortem qvidem triumphi amitteret dignitatem. Sanè Imperatoriam hanc laudem ut suam faciant Principes , non repugno. Interim qvicunq; ad aliquem Magistratus gradum sunt evecti, latente in istâ narratione Virtutem cur minus occupare vel imitari debeant , non video. Cum præsertim in Alma nostrâ ZITTA VIA non unius tantum Personæ, sed multorum nunc elucecant merita, qvi non sibi, non Posteris , qvir potiùs celebratissimis olim Parentibus, Famam & Triumphum acquirunt. Etenim ex quod res mundanas deseruerunt , qvi Consularem dignitatem superioribus annis gesisse vel sciuntur vel memorantur ; non exigua Filiorum Pars , Paternis his Virtutibus provocata , variam in Ordine Senatorio dignitatem obtinuit , ac hodienum satis feliciter defendit. Ipsi Triumphis & honore digni , vivere tamen videntur in eorum gloriam , quibus vitam & educationem debent. **Q**uamobrem cum nupera CONSULARIS REGIMINIS Renovatio Consuetudine velut in Legem digressa, nostram quoque GYMNASII Congratulationem requirat ; commodissimam huic Solennitati materiam fore credidimus, si quos Parentes Filii novis meritis faciunt immortales , nostra etiam Juventus , suis declamationibus ornatos ,